

quid habeo, post primordia percepta, in coetibus Scholasticis humilioribus, secundum Deum, debere Luthero, Philippo & aliis Collegis (inter quos C. Cruziger & G. Major fuerant Theologi) qui vel in Theologia vel aliarum artium & facultatum professionibus meorum studiorum cursum acerbis stimulis impellebant, & sua liberali assiduitate, ad eam, qua tunc repullulabat, doctrina caelestis puritatem, & ad consecretandas disciplinas graviores subinde reddebant alacriorem. Ego vero, ita porro subjicit, non destituebar prorsus ingenio, quod solerti indigebat cultura.

§. VIII.

Quibus adeo rebus factum est, ut cum & virtus *Mauricii* enitere inciperet, & vicissim *Philippus* Discipulum, quem habebat, γνήσιον, non mediocri affectu prosequeretur, ad munus publicum, praeter ceteros, occasione data, mox commendaretur; nominatim vero *Halensi* in Saxonibus Civitati vicinae offerretur, cum in Scholam recens a Senatu instauratam Praeceptores quaesiti essent. Quam tamen stationem, sumtu studiorum notabiliter deficiente quasi adactus acceptavit, & ad pubem adeo Scholasticam docendam, ut *σύνεργος* ordine tertius, A. 1645. Annos ipse natus XXIII. sese accinxit. Sed quanquam frequens atque splendida esset scholae Halensis conditio, Rectoris officio perfungente M. *Emerico* & Cantoris *Georgio Staudnero* Solisbacensi, quibus familiariter in primis noster usus est; tamen retinere diu eum, neque commoditas honestae sustentationis, neque etiam D. *Iusti Fona*, atque collegarum in sacris functionibus auctoritas, potuit, quin iterum ad viam Academicam redintegrandam adspiraret, & *Philippi* potissimum delicias, maxime omnium exoptatas, denuo degustare cuperet. Decessit igitur a Sparta sibi mandata, eo tempore, quo non Hala tantum, sed tota passim Saxoniam bellis ardebat, & *Smalcaldicorum* motuum calamitates, uti fere solent inter arma Musae silere, ipsam

ipsam